

U.M.
RUM
E
ÉINZIA
UM

DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disquisitio XXXII

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente

MARTINO STRAUBELIO

Querfurtenſi Sax.

Dominica I. post Trinitatis.

A. O. R. ch. Ic. III.

HALLIS SAXONUM

Prelo Hæredum Melchioris Oel-
schlegely

Dr. Doban: fide:





V I R O

Rerum politicarum, ut & prudentiae diuturno usu acquisita prerogativa
Amplissimo,

DN. PETRO ROMELIO,
Serenissimi atque Celsiss. Dn. Electoris Sax. in Præfectura Sittichenbach
Quæstori meritissimo & fidclif-
fimo.

V I R O

itidem

Consultissimo, integerrimo, multarumq;
rerum usu Spectacissimo,

DN. STEPHANO WLOMANNO
Excellentissimo Duci à Königsmarck
in arce Querfurtensi Præfecto à ra-
tionibus & judiciis Gravissimo, &c.

Dnn. Patronis ac Promotoribus
parentum loco habendis hoc
quicquid est

sacrat

RESPONDENS.



ANALYSIS
EVANGELII
*DOMINICA I. POST TRI-
NITATIS.*

Luc 16. à v. 19. usq; ad 31.

ANTELOQUIUM.



*Racepit Deus Levit. 16.
v. 7. ut pontifex duos bircos
ad ostium tabernaculi stare fa-
ceret Domino, & immolaret:
unum autem pro peccatis populi, alterum im-
precationibus onustum a legaret in desertum.
Hic per allegoriam Epulo esse videatur, ille vere
Lazarus, quemadmodum uberior illud ipsum
in praeconi Pericope Evangelica declaratur:
Siquidem in ea habetur de divite & de pau-
pera.*

C THE

THESIS I.

Partim quoad hanc vitam, ubi occurrit
utriusq; tum status: & quoad divitem
quidem est ejus notanda opulentia: v. 19. in
quo subjectum per individuum vagum:
homo. Quinon nominatur, quia nomen
impiorum patrescit Proverb. 10, 7. nec inscri-
ptum est in librum vite Luc. 10, 20. sed ex
eodem deletum Deut. 29, 20. nec Christus
movit eos Matth. 7, 23. Dicit ergo quidam,
habet Chrysost.lib. 5. hom. 15. de div. quia
quasi umbra praterit; quiq; ne quidem dignus
sit, habet Gregor. hom. 10. in Johan. ut no-
minetur. Sicut & per Prophetam dicitur: no
memor ero nominum eorum per labia mea
Psal. 16, 4. Unde & quidam, inter quos Justinus,
Athanasius, Hieronymus, Chrysostomus,
Theophylactus arbitrantur esse para-
bolam: quia 1. uti habet Chrys. in parabola
nomina non sunt dicenda: & parabolica illa
sunt, ubi exemplum ponitur & tacentur nomi-
na; 2. quia videtur absurdum loqui mortuos,
nullaq; vox possit ex inferno ad cælum attin-
gere; & quia 3. lingua divitis in sepulchro; &
quia 4. Lazari anima in cælo non habuit di-
gitos; & quia deniq; Beza testatur, in veru-
stissi-

35

stissimo quodam codice legi: dixit & aliam parabolā. Alii verò, inter quos Irenaeus, Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Ambrosius, Cyrillus, Gregorius Magnus, veram esse historiam opinantur, quia 1. nomen personæ Lazarī exprimitur; quia 2. dives ille habuisse quinqu fratres tunc temporis viventes afferitur: & quia 3. quod habet Gregor. hom. 40. super Evang. si verus Moyses, si veri Prophetæ, si verus Abram, si verus Lazarus, vera utiqu similiter, quæ hoc loco de cœlo & inferno, erunt reliqua: & quia 4 traditione Hebreorum fertur illo tempore inter Iudeos fuisse quendam ob extremam inopiam omnibus notum mendicum Lazarum: sicut ex Gracis Irus ille ex Ithaca jatis notus fuit. Quicquid sit, res ipsa fabula non est, sed veritas, licet parabolicè etiam proposita. Intellexerunt quidam per hunc divitem Jacobum à Labano male tractatum Gen. 29, 25. alii putant depingi stolidum illum Nabalem i. Sam. 25. 3. Alii, ut ita scribit Tertull. lib. 4. adversus Marcionem per mendicum Iohānem Baptistam intelligunt, per epulonem Herodem. Sed cum Christus nō expresserit, non est quod hic curiosus talia inquiramus: Fuit quidam homo. Ut discamus prudenter interdum esse agendum, nec semper nomina esse alleganda.

C 2

2. Et

36

2. Et adjunctum : erat dives. Quibus
nisi abundabat : dicitur enim ~~ταλάντος~~, quasi
~~πολὺ γοτός~~, magnam habens substantiam : di-
ves dixit, habet Augustin. serm. 19. de verb.
Apost. non dixit calumniator, non dixit pau-
perum oppressor, & rerum aliarum raptor, aut
abactor, aut deceptor : non dixit pupillorum
spoliator, nec viduarum persecutor : nihil ho-
rum, sed eras quidam dives. Quid magnum est
divis erat, & de suo dives erat, cui aliquid ab-
stulerat? an forte illi auferret & Domini de illo
reticeret, & personam ejus acciperet, si criminis
ejus absconderet? si vis ergo crimen audire di-
vitis illius, noli amplius inquirere quam audis
à veritate : dives erat. Non quasi divitia ipsæ
per se mala : tolle enim superbiam & impieta-
tem, & divitia non nocebunt, inquit August.
quia veniunt à benedictione Domini Prov. 10,
22. sanctis etiam competunt. Unde Abraham
dives, Gen. 13, 1. 2. sed per abusum fiunt male,
quemadmodum in subsequentibus habetur. Ille
discamus divitias ita amare, ne abutamur il-
lis, sed apprehendamus veram vitam, 1. Ti-
moth. 6, 19.

3. Et prædicatum ab effectu describi-
tur, quo ad amictum : qui induebatur tūm
purpura. Fuit autem purpura uestitus regius,
que

quo uti, prater eos, nemini olim licuit, teste
Plin.l.9.c.36.& l.10.c.1. Et desumpta illa ipsa,
ut habet Pollux lib. 7. ex concha nobilissi-
ma. Sed, habet Minutius in Octavic, ami-
ctum esse purpura & byssus, vanus error homi-
nis, & inanis cultus dignitatis fulgere purpura,
& mente sordescere.

4. Tum byssus. Fuit linum subtilissimum,
eius pretium auro aequale fuisse, idem Plin.al-
leg. lib. 19. mentionem fecit : tantaq; pre-
stantia : ut si quando byssina uestis maculam-
attraxerit, auri instar igne absq; detimento
perpurgata fuerit. Ut discamus luxum & su-
perbiam uestitus improbari, siquidem mollia
indumenta animi molliciem indicant, habet
Bernh. in Apolog. ad Guiliclm. Abbat. &
serico & purpura induta, ait Cyprian. in lib.
2. de habitu virginali, Christum sincerè in-
duere non possunt: auro, margaritis & monili-
bus ornata, ornamenta mentis & corporis per-
diderunt. Nisi status & conditio postulet; sic
Salomonem ob uestitus ornatum ipse Christus
commendat Matih. 6, 29. Josephus habuit an-
nulum aureum, vestem byssinam, & torquem
auream, Gen 41, 42. Daniel purpurā indutus,
& torques aurea posita in collo ejus Dan. 5, 29.
Mardochaeus ueste regali hyacinthina, coro-

na aurea, & amictu byssino ornatus Esth. 8, 15.
 Neque Scriptura prohibet, ut mulieres habitu-
 ntur ornato 1. Timoth. 2, 9. & decoro in-
 dumento bysso & purpura Prov. 31, 22. Impri-
 mis vero in festivitatibus Jud. 14, 13. & nupti-
 alibus solennitatibus Matth. 22, 12. si absq;
 superbia & luxu fiat; qui 1. colligitur ex
 superfluitate. 2. ex sumptuositate. 3. ex novi-
 te, & 4. ex levitate, præsertim si etiam,
 quod monet Melanchthon, licet alias Ma-
 gistris & Dd. annuli tribuantur, Theologi ta-
 lia gestent, cum dicatur Theologus superflue
 annulatus aut stultus esse aut elatus: quia ve-
 stitus non nisi necessitatis causa, & nostri rea-
 tas est datus, ut monumentum Gen. 3, 22. neq;
 in eo gloriandum Sic. 11, 4. unde ag₃ foret, ac si
 fur laqueo superbire velles. Quamvis etiam,
 non in solo corporum nitore & pompa, sed vel
 in ipsis sordibus lueticosis possit esse jactantia,
 ut ait August. de serm. dom. in monte Liba:
 Adeò ut & illum verum sit, qui vilo ueste vel
 calceo hominibus placere velit, à Deo abalie-
 natum animum habere, uti Basil. in quæst.
 compend. 50. ex eo asserit. Paucis: resistit
 Deus superbis & holosericatis & pannosis, ait
 August. in explic. Psalm. 85.
 5. Et quoad victum, cuius apparatus in
 gene-

genere: & epulabatur. Hoc est, letabatur in
omnis generis deliciis & voluptatibus, qui-
bus letitia excitatur. Non quasi epula sine
malz: siquidem Scriptura liberalem mensam
non improbat. Sic apparatus ciborum Salo-
monis recensetur, I. Reg. 4, 22. & ipse met de
talibus disserit, de laudarum, deliciarum ac
gaudiorum suorum affluentia Ecclesiast. 2, 4.
Nam Deus creavit cibum ad percipiendum,
I. Tim. 4, 3. & vinum ad laetificandum cor ho-
minis Psalm. 104, 15. Sir. 40, 20. Ideo & sor-
didi homines in scriptura peccime audiunt, Ec-
cles. 5, 9. Sir. 14, 3. Proinde non cibus, sed appe-
titus in vicio est, Greg. lib. 30. mor. c. 13. Neq;
enim omnis paupertas sancta, ait Ambros. in
Luc. 1, 8. aut divitiae criminosa: sed ut luxuria
infamat divitias, ita paupertatem commendat
sanctitas.

6. In specie, quoad quantitatem:
quotidiè. Hoc est, totus erat deditus ventri.
Et si enim quandoq; splendidius cœnat quis, hoc
vel propter festos dies, vel propter hospites, ta-
men quotidie facere grande vitium est, inquit
Ardens, cum clamet Christus: ne corpus gra-
vetur oracula & ebrietate, Luc. 21, 34. Ne vi-
vamus in commissationibus, monet Apostolus
Rom. 13, 13.

7. Et quoad qualitatem : splendidez
Unde luxus colligitur, qui damnatur, Esa, 5, 11.
 & Ezech. 16, 49. Amos 6, 4. & monstrant
 exempla, nempe Balthasaris, Dan. 5, 1. Holofer-
 nis, Judith. 2, 20. Abaiveri, Esth. 7, 7. quorum
 Deus venter est. Phil. 3, 19. que monstra ver-
 rius pecudes quam homines sunt, habet Justin.
 Martyr, in epist. ad Zenam & Seren. qui cu-
 perent sibi centum manus, & quinquaginta ca-
 pita Geryoni tricipiti seximanoq; inuidentes
 quod multis manibus faucibusq; nequeant gu-
 lacibos suggestere. Ubi & interdum mensam
 circumstent scurre, partim turpibus verbis
 convivii structorem deliciis affidentia, partim
 absurdis adspectibus & gestibus intemperan-
 tia ignem accedentes: alii mutuis dictis de-
 cavillis risum, qui vocavit, excitare volen-
 tes; alii confictis lundibus ipsum effingentes, ut
 conqueritur Basilius in conc. ne rebus tem-
 por. affixi simus. Atqui sic multi in hac vi-
 ta manducant, quod postea apud inferos dige-
 runt, inquit Aug. in Pl. 48, conc. 2. Ut disca-
 mus luxum vitare.

8. Et mendicantis Lazari indigentia,
 cuius paupertatis denotatio, v. 20, in quo
 in genere: Erat autem quidam mendicus,
 Iesu nimirum & divitem & pauperem fecit
 De-

48

Dominus PROV.22, 2. & bona, & mala, pauperas & divitiae à Domino proficiscuntur Sir. 11, 14. Sic ergo permixta ista temporalia Deum esse voluit, ait Aug. in Psal. 66. qui si bonis solis ea daret, putarene & male propter hac colendum Deum: rursus si ea satis malis daret, timerent boni infirmi converti, ne ista illis forte deessent. Et quamvis sint duo contraria: dives & pauper, sunt tamen sibi duo necessaria. Nullus indigeret si invicem se portarent. Et alier sine altero esse non potest: nam dives propter pauperem, & pauper propter divitem factus est, habet Aug. ser. 25. de verb. Dom. Ne ergo ob divitias extollant se divites, & pauperes opprimant, & contemnant PROV. 14, 31. ita pauperes, ne divitibus sortem suam invideant, Ecclesi. 4, 4. Deus est, qui ditat & qui pauperem facit, 1. Sam. 2, 7.

9. In specie, & quoad nomen: Lazarus, Sic pauperē memorat̄ quia 1. Deus novit suos, 2. Tim. 2, 19. & quia 2. iustorum nomina in liberum vita inscripia sunt, Apoc. 17, 8. Sic de Moysē ait: novite ex nomine Ex. 33, 12, Esa. 48. 1. & Christ⁹ de discipulis: gaudete quod vestra nomina in cœlis sunt ascripta, Luc. 10, 20. Appellatur autē Lazarus vel Eleazar, quod idem est si interpreteris, ac Dei auxilium, sive adjutus à Deo.

C 5

10. Quo-



10. Quoad effectum , ubi situs : qui jacebat ante januam divitis. Hoc est , quod projectus ad vestibulum eium divitis : ut crudelitatem diviti in suo corpore demonstraret, habet Chrysost. hom. 15. de divite & Lazarō : ne dives diceret : non vidi , in angulo fuit , adspicere haut potui , nemo mihi renunciavit : ante januam jacebat , videbat illum & exiens & revertens eo tempore. Quæ verba debent nos instituere ad implenda mandata pietatis : quotidie Lazarum , si quarimus , invenimus . Nolite ergo misericordia temporā perdere : nolite misericordia accepta dissimulare , habet idem . Inquirendum ergo cur pigritus estis , ait Gregor . quoniam hoc quod jacenti in terra porrigitur , sedenti in cœlo dabitur .

11. Et morbus : ulcerosus . Seu plenaria ulceribus ; non enim habebat unum ulcus , inquit Chrysost. hom. 15. totum corpus ulcera erant , ut magnitudo pœnarum faceret magnitudinem misericordia : plerumq[ue] enim calamitas una non est sola .

12. Et ulcerum curatio . v. 21. in quo votum famis explendæ , quod effectus declarat : cupiens saturari de mīcis de mensa divitis cadentibus . Non experit fercula , sed mīcas tantum . Et quidem de mensa cadentes ,
quas

quas tamē, uti habetur in vulgata versione, ei
 nō dabat. Ita tumor divitū indicis competen-
 cibus arguitur, habet Ambr. in Luc. quod ita
 immemores conditionis humanae sint, ut tan-
 quam supra naturam seu de miseriis paupe-
 rum incentiva suarum capiant voluptatum,
 rideant inopem, & insultent egenti: & quorum
 magis misereri deceat, iis auferant. At habet
 Bernhard. in declam. sic crudelitas arguitur
 (damnatio autem sine misericordia erit ei, qui
 misericordiam non præstiterit Jac. 2, 13.) quod
 quis substantiam hujus mundi habuerit, &
 clauserit viscera sua ab egeno: quando haec di-
 viti deest? quando videris. & ipsi Lazaros
 esurientes, nudos & agrotos, & plus de indu-
 mentis vestris, plus de equorum phaleris, quam
 de istorum misertis cogitatis? Certè quicquid
 docente Leone de Pentecostali jejun. c. 4. in
 cibos pauperum, incuraciones debilium, in-
 precia captivorum & in qualibet opera pietati
 sis impeditur, non minatur, sed augetur: nec
 unquam perire poterit apud Deum, quod fide-
 lis benignitas erogari, dum quodcumq[ue] tribuit
 ad subsidium, id sibi recondit ad præmium. Et
 thesaurū suum condit in cœlo, ait idem ser. 1.
 de Elect. qui Christum pascit in paupere. The-
 saurus enim cœli, habet Chrysologus serm. 8.

44

est manus pauperis, quem qui suscepit, ne in terra pereat, reponit in cælum. Manus pauperis est gazophylacium Christi, quia quicquid pauper accipit. Christus acceptas. Et dives hoc crimen habebat quod insmisericors erat, habet August. serm. 19. & verb. Apostoli. Nec quispiam dicat non habeo: Charitas non erogatur de sacculo: si potes dare, da: si non potes affabilem te fac. Coronat Deus intus voluntatem, ubi non invenit facultatem, habet Augustin. super Psal. 103. Quia semper, quod Leo dicebat serm. i. de Jejun. 10, illi quod largitur occurrit cui benè velle non deficit. Da ergo homo pauperi terram, ut accipias cælum; da nummum, ut accipias regnum; da micam, ne accipias totum: da pauperi, ut det tibi: quia quicquid pauperi dederis, tu habebis; quod pauperi non dederis, habebit alter, habet August. lib. 50. hom. 41.

13. Et fatum per comparata imparia: sed & canes veniebant. Ex familia nullus, quia qualis dominus, talis familia. Et ideo ipsi conformabantur mentis duritia. Contra vero nemo ad humilitatis officia segnis est in sapientis familia, habet Philo de Abrah. Sic Eliam cibant cervi i. Reg. 17, 6. hic canes lingeunt culera ejus, qua nullus hominum levare digna-

45

gnabatur & tractare, fere mites lambunt, ha-
bet Chrysost. lib. 45. hom. 15. Non ergo de-
sperent pauperes, quia & ipse Filius Dei pauper
erat, 2. Corinth. 8, 9. Coguntur etiam bestiae
succurrere. Ut discamus pauperem nunquam
deserere.

14. Tum occurrit utriusque mortis
circumstantia. v. 22. in quo dissimilitudo
explicatur privantibus subjectis contrariis,
& causis adjuvantibus sive administris; de
paupere quoad antecedens: Accidit autem
ut moretur mendicus. Et quidem quod
monet Chrysost. audivimus quid uterque in
terra passus sit: videamus quid utriusque horum
patiantur apud inferos: quod temporale fuit
prateruit, quod sequitur aeternum est. Et ita
tamen, uti antea dives primum locum occupa-
vit, modo pauperis mors proponatur. Et uno
docetur nihil diuurnum esse, in quo non ali-
quid extrellum sit, habet August. lib. 12. de
civit. Dei c. 12. Pauperem vero mortuum esse
legitur, ubi notandum non hominem, sed ho-
minis misericordiam mori, quemadmodum B. Cæ-
cilia dixit.

15. Quoad consequens, cuius medi-
um: & deportaretur ab Angelis. Nempe
quoad animam: & sic ad vesperam oritur ful-

gor

46

gor justo, Eccles. i, 19. Ideò dicitur : timenti domini
num benè erit in extremis, quod monet
Greg. lib. 10. moral. c. 21. licet q̄ fœdum La-
zarus corpus habuerit & putridum, in eo tamē
lactuit preciosa anima, quæ ipsis arrisit Angelis.

Quodq; noluerunt præstare homines, hoc præ-
stierunt cœli principes : adeò ut non sufficerit
ad portandum unus angelus, sed propterea plu-
res venerunt, ut chorūm latitia facerent : gau-
det enim unusquisq; Angelorum tam charum
onus tangere, quia Angeli libenter talibus ono-
ribus prægravantur, habet Chrysost. ut addu-
cant homines ad regna colorum : nam angeli
non solum Deo serviunt, sed etiam hominibus,
quod pluribus declarat Origenes homil. 35.
in Luc.

16. Et quoad locum in sinu Abra-
ha. Sepulcræ non sit mentio, quia, ut habet
Chrysost. pauperes pomposè non solent sepeliri
quoad corpus, sed animæ locus eò est celebrior.
Intelligitur verò metaphoricè aeternæ beatitu-
dinis locus, seu cœlestis felicitas, ubi anima
Abrahæ patris fidelium & credentium, quod
& habet August. lib. 5. confess. c. 3. cum omni-
um electorum animabus suaviter, veluti in-
fans in sinu matris sua requiescit. Ab Abra-
hamo vero appellatur, quia is est pater fideli-

um

47

ut & credentium. Respicitur, secundum
Cyrillum ad hospitalitatem Abrahami Gen.
18,43. quia dives in hospitalis fuit. Non vero
exinde collendum, quasi soli pauperes ingre-
diantur hunc locum : equidem paupertas per
se non salvat, dum propter inopiam multi de-
linquunt Sic. 27,1. Unde & Salomon pauper-
tatem deprecatur, Prov. 20,8; sed quia respe-
xit auxilium Dei, ut in nomine cluit : quia con-
stans in vera fide, Jac. 2,5. dum Deum timuit
Tob. 4,23. Nolite itaq;, inquit August. term.
110. de tempore. contemnere divites miseri-
cordes, divites humiles : divites & pauperes no-
nlio contemnere & pauper ! Esto & tu pauper,
id est, humilis : pauper enim non habet unde
infletur, dives vero habet cum quo luctetur. In-
terior notandum quod nemo possit gaudere
cum seculo, & regnare cum Christo, habet
idem August. de contemptu mundi.

17. De divite, ubi antecedens : mor-
tuus est autem & dives. Nempe ut ambo ho-
mines, ut ambo carnales, sic & ambo mortales,
habet August. ser. 25. de verb. Dom. Agro-
ta quidem fuit jam antea Lazari anima, hujus
tandem etiam incipit agrotare. Et quod sequi-
tur, moritur : nam moritur dives & pauper.
Psal. 49,3. doctus & indoctus, Eccl. 2,16. par-

48

vus & magnus, Job. 3, 19. honoratus & vilissimus, Sir. 40, 3. Nudi nascimur omnes, nulla distinctio inter cadavera mortuorum, nisi forte quia gravius fætent divitum corpora luxuria distenta, ait Ambros. in Hexam. lib. 6. cap. 8. Movet quidem quosdam quod cum cæteris si nobis mortalitas ista communis, ait Cyprian. serm. 4. de mortalit. Quid verò nobis in hoc mundo non commune cum cæteris, quamdiu adhuc secundum legem primæ nativitatis manet caro ista communis? Quoadusq; isthic in mundo sumus, cum genere humano carnis aequalitate conjungimur, spiritu separamur. Prædivite tamen moritur Lazarus ex peculiari Dei benignitate, que pios ex afflictionibus festinanter eripit, impios autem moralæ longævitatis ad pœnitentiam allicit.

18. Et consequens: sepultus est. Id quod de Lazari sepultura non legitur. Sed cum dives adhuc vivebat, sepulta est ejus anima. Ideoq; cùm moreretur, non ab angelis assumptus est, sed in infernum deductus, ait Theophil. in Luc. Et procul dubio magna cum pompa, quia verus manet tritus ille versiculus:
Cùm moritur dives, concurrunt undiq; cives,
Cùm moritur pauper, vix advenit unus & alter.

Augu-

August. inquit serm. 24. de verb. Dom. De duobus ergo istis dicite mihi, quis sit benè mortuus & quis male? Nolite oculos interrogare ad cor redite! Si enim oculos interrogaveritis, falsa vobis respondent. Mulium enim splendida sunt & singulariter fucata, quæ illi diviti morienti exhiberi potuerunt. Quæ potuerunt agmina esse plangentium servorum & ancillarum? quæ pompa clientium? quis splendor funeris? quod premium sepulturae? credo eum, aromatibus obrutum. Quid ergo dicturi sumus, fratres? an benè istum mortuum? an male mortuum? si oculos interrogatis, optimè mortuus est: si magistrum vestrum interiorem requiritis, pessimè mortuus est. Si ergo sic moriuntur superbi, rerum suarum conservatores, & nihil inde pauperibus largientes: quomodo moriuntur illi, qui rapiunt rēs alienās? Verūt ego dixi, vivite benè, ne male moriamini: ne quomodo dives ille moriamini. Sepulchrum autem dicitur per synecdochēn quoad corpus: simulq; docetur pompa funebre, cūm sepulchrum sit pœna peccati, non admodum esse curandam: Non quasi sepultura sit illicita, siquidem scriptura commendatur testimonii Sir. 38, 16. exemplis Saræ, Gen. 33, 4. Abrahæ, Gen. 25, 9. sed stoliditas inepta est, habet Basilius in conc. ad

D divi-

50

divites circa fin. mortuum ornare & sumtuosè efferre eum, qui non amplius sentit.

19. Quoad alteram vitam, quæ describitur per colloquium inter pauperem & divitem, cuius recensetur occasio Lazari à divite in sinu Abrahæ observatio v. 23. in quo locus in genere: atque in inferno. Qui Gracis dicitur ad̄q̄ persynaresin quasi ad̄q̄ quod minimè videatur: intelligitur q̄ infernus, quem Christus ignem eternum vocat, Matth. 25, 41. tenebras exteriores Matth. 22, 13. Esaias speluncam amplam ac profundam; Esa. 30, 33. Ut facile colligatur esse infernum, licet ignoretur ubi sit, quia non est; quo loco sit situs, quin magis quo pacto evitari possit: querendum, habet August. serm. 31. in cap. 16. ad Rom.

20. Et in specie à statu: sublati oculis suis. Quos liberos habebat, ut alterius latitiam posset aspicere, ut magis torqueretur, habet Chrysostom. quia non habebat quod alius habuit: aperuit oculos in pœna, quos clausit in culpa, ait Greg. lib. 25. mor. c. 21. Quomodo verò ista intelligenda sint; illa flamma inferni, ille sinus Abrahæ. illa lingua divitis, ille digitus pauperis, illa sitis tormenti, illa stilla refrigerii, vix fortasse inveniatur à mansuetè querentibus: à contentiosè autem certantibus nunquam

quam, habet Aug. l. 8. ad Gen. ad lit. c. 5. Neq;
enim anima digitis & oculis præditæ sunt, nec
sunt laborant, neq; mutua colloquia inter se ha-
bent. Interim tamen Christus se ad captum
nostrum accommodat, ut & melius statum al-
terius vitæ aliquo modo percipiamus.

21. Et locus: in tormentis. Non dixit in
tormento, habet Chrys. divitia & avaritiata-
lia præmia suscipiunt. Inde Nilus ait decur.
22. paræn. 8. va avaro! opes enim illū deserent,
& flammæ excipient. Et recte dicuntur tormen-
ta, quia horribiles sunt cruciatus infernales, ubi
fletus ob ignem, qui non extinguitur; stridor ob
vermem, qui non moritur: planè fletus ex dolo-
re, stridor dentium ex furore, habet Bernh. in
serm. 8. in Psal. qui habitat. Potissimum autem
ita dicuntur quia ignis æternus, Matth. 25, 41.
opprobrium æternum, Dan. 12, 2. interit 9 æter-
nus, 2. Thess. 1, 9. Audiant ergo nunc divites,
qui nolunt esse misericordes, hic ulcerosus & nu-
dus jacens Lazarus, ad sinum Abrahæ ab ange-
lorum deportatur manibus, elatus autem splen-
dide, tartareo carcere clauditur.

22. Et effectus cū objecto singulari: vidit
Abrahā emin. Non quasi fuerit in eodem fora-
mine, licet multū distante. sed secundū cīv. & po-
nitū. Deinde ista dicuntur, cum tantum sint duo

D 2 loca.

52

loca, duo animarum receptacula. Matt. 25, 46.
Marc. 16, 16. Non potest dari tertium, cum Scriptura id ipsum ignoret Aug. ser. 8. de verb. Ap.

23. Et vulgariter: & Lazarus in sinu ejus. Hoc est, in vita eterna, qd. in quodā sinu quietis, uti habet Ambr. l. 8. in Luc. Nolite enim carnaliter intelligere, quod velut in sinu Abraham sit pauper: sinus erat, quia secretum erat, ait Augustin. serm. 110. de tempore.

24. Et enarratio, respectu tum divitis sui ipsius, ubi petita poenarum mitigatio v. 24. In quo iterum in genere ab effectu: & ipse clamans dixit. Magna enim pena magnam vocem reddebat, habet Chrysost. inde Syrus addit, alta voce.

25. In specie, quoad objectum, adhibita prosopopœia: Pater Abraham: Cur antem, inquit Theophyl. non verit orationem ad Lazarum, sed ad Abraham? confundebatur fortassis existimans forsitan Lazarum vindictæ avidum & ex suis causis, judicabat illum. Propterea ad Abraham facit sermonem, ait idem, quia putabat, ignorare Patriarcham quæ contigissent. Et patrem vocat, quia etiam filius fuit, sed non secundum spiritum, verum secundum carnem.

26. Quoad effectum universaliter: misericordia

screre mei! Ita qui superioribus temporib⁹ di-
ver⁹ & superbus fuit, habet Aug. serm. 24. de
verb. Dom. fit modo mendicus inferni. Ubi
quidem inclamat Abrahamum, non autem in-
vocat, quia acclamatio non est oratio.

27. Et particulariter, quoad personam:
& mitte Lazarum. Ita illum postulat, quem
aliquando contemserat, ait Salvian. lib. 3. con-
tra avaritiam.

28. Et causam finalem remotam: ut in-
tingat extremū dīgiti sui in aquam. Sic per
illum, cuius olim fætorem longè refugerat: non
horret nunc manum illius, qui membrorum
ſuorum ulceribus ſuoscaneſ paverat; non dedi-
gnatur auxiliū illius, qui in pure ac ſanie com-
putruerat; non reformidat ſqualentis manus
delicato ori ſuo immitti. fætidos dīgitoſ fauci-
bus ſuis inſeri, ait Salvian. lib. 3. contra avarit.
Et perit non vinum, ſed aquam ſaltim, ut, qui
minima denegavit illuc, hic minima etiam non
impetrat, ait Gregor.

29. Et proximam: ac refrigeret linguā
meam. Id eſt, humectet, ut Syrus habet. Et
quia inter omnis corporis partes linguā ſuā ēr-
ore peccarat, magis os & lingua etiam dat pœ-
nas habet Cyprian. lib. 5. Epist. ep. 3. Audi-
ant itaq;₃ divites, qui nolunt eſſe misericordes.

D 3

Au-

34

Audiant irrogari supplicia illis, qui nolunt erogare subsidia. Audiant pauperem refrigerantem, audiant divitem pœnis gravioribus astutantem, habet Aug. serm. 25. de verb. Dom. Hic ergo divites cogitent, qui redimere facultatibus nolunt suis, ne ista patientur, ait Salvian. lib. 3. contra avarit.

30. Et causa impellens: quia crucior in flamma hac. Qui cruciatus gravissimus, uti vox Græca innuit: denotat enim dolores parturientium. Et in flamma quidem quasi in Saragagine: ut horribiles pœnas annuat verbis istis. Mortem quippe querent, & non inventent, Apoc. 9. 6. ubi neq; nocte, neq; die requie habebunt, Apoc. 14. 11. ubi clamabunt maledicta dies, in qua nati sumus, Jer. 20. 14. Sic cruciatus infernalis per amplificationem à simili describitur: Quemadmodum enim qui summo caloris astu vel ignis flamma excruciantur extremo duntaxat digitulo, vel stilla aquæ asperso, refrigerationem aliquantulam desiderant, ita & iste lurco.

31. Et responsio partim à contrariis, ubi diversa hujus vitæ usurpatio v. 25. In quo tum causa efficiens: dixit autem Abraham. Per quem intelligitur ipse Deus, ut qui est Deus Abraham, Isaac, & Jacob.

32. Tunc

32. Tum forma orationis à relato
objeto: fili. Sc. secundūm carnem: non enim
erat filius gratia, sed ratione procreationis car-
nalis: aut insinuans per hoc eatenus sibi licere,
quatenus tām benigne alloquitur, sed ulterius
nihil licere, ait Theophyl. in Luc.

33. Et à tempore: recordare. Ut revo-
cet ipsi in mentē statum præteritum. Per quod
innuitur animus non ignorare omnia, sed re-
cordari etiam potissimum præteriorum: cum
recordatio sit actus rationis.

34. Et accidens ab iniquitate respe-
ctu præteriti quoad divitem: quòd præ cœ-
teris bona tua in vita tua acceperis. Quasi
diceret: creatus quidem fuisti ad vitam ater-
nam. & cœlestem etiam appetere debuisses, sed
per omnem vitam terrenis inhiasti, qui para-
disum tuum repudiasti. Ergo iniquum foret
modò denuo recipere: non potes in terra gras-
sari & hic manere, habet Chrys. hom. 15. de
divite. Et accepisti, dixit, quia de his dicere so-
lemus recipe, qui suū accipiunt, quod eis debe-
tur. Discimus igitur, quòd licet quidam faci-
norosi sint, & in extremam pervenerint mali-
tiam, nonnunquam tamen unum quoddam
vel duo bona opera faciunt. Unde & ipsi ha-
bentes bona quedam, quæ in presentis vite pro-

56

speritate,capiunt,recipere dicuntur, ait Theophyl,in Luc.

35. Et quoad pauperem : Lazarus similiter mala. Nempe in hac vita, ut ita fuerit sors contraria, uti vita.

36. Quoad præsentem statum respectu pauperis : nunc autem hic solatio fruitur. Atq; ita repensatur refectio pro nuditate, refrigerium pro paupertate, pro purpura flamma, ut salva sit aequitatis statera. Neq; enim fluctuatio est æterna justo, Psal. 55, 23 sed ejus tristitia tandem vertitur in gaudium, Johan. 16, 22. Post luctum enim sequitur consolatio, Mat. 5. 5. post lachrymas exultatio, Psal. 126, 5. post momentaneum tribulationis æterna gloria, 2. Cor. 4. 17. Vides igitur quo te ducat tribulatio, habet Cyprian. de exil. Martyr. c. ult. ad spem non pudefacientem : Egrotas? gaudet quia, quem Deus diligit, castigat. Pauper es? latare, quia Lazari bona te excipient. Unde malum pati, habet Chrysost. hom. 15. in cap. 7. Act. Apost. malum non est : malum facere, malum est, & ideo malorum sustentatio cœlorum regnum nobis pollicetur.

37. Respectu divitis: tu vero cruciaris. Ita pensantur pro divitiis poena, habet Augustin, ser. 25, de verb. Dom. Ideoq; qui inciborum

57

borum voluptate, & byssinis vestibus, divitiisq;
circumfluebat, gekennam habet, ipsiusq; ignem
pro indumento, ait Isiodo. Pelusiot a lib. I. ep.
376. Quid igitur profuit carnis voluptas? quæ-
rit Bernh. medit. de votis sim. c. 13. brevis le-
titia? ubi jocus? ubi risus? heu de tanta letitia
quanta tristitia! Quin in consummatione
mundi, habet Hieron. lib. 8. ep. c. 24. præte-
ritarū deliciarū recordatio erit materia cru-
ciatum. Si hæc pœna est avarorum, quæ pœna
erit raptorum? sed ait, perget mibi raptorrerū
alienarum: Ego similis illius divitis non sum:
Agapes facio, vincis in carcere victimum mitto,
nudos vestio, peregrinos suscipio. Dare te pu-
tas? respondeo, tollere noli & dedisti. Cui deder-
is, gaudet: cui abstuleris, plorat: quem duorū
istorū exaudiurus est Dominus? Dicis ei, cui
dederis, gratias age, quia accepisti, sed alter tibi
ex alia parte dicet: ego gemo, cui abstulisti: &
penè totum tenuisti, & exiguum illi dedisti: si
ergò quod alteri abstulisses, e gentibus dedisses,
nec talia opera diligit Deus. Dicit tibi Deus:
stulte, jussi ut dares, sed non de alieno. Si habes,
da de tuo; si non habes quod des de tuo, melius
nulli dabis, quam alteros spoliabis, ait August.
serm. 19. de verbis Apostoli.

38. Et ab impossibilitate, ubi beatorum

58

& damnatorum separatio v. 26. In quo per similitudinem à terreno quopiam hiatus desumptam illud ipsum illustratur, cuius *περίτοις*: Et super hæc omnia inter nos & vos hiatus ingens firmatus est. *Chasma, hoc est, distantia & differentia, non respectu tamen loci quam status.* Nam sicut voluntates eorum diversæ fuerunt, ita & præmia mulrum inter se distant, unoquoq; accipiente qua vita & voluntati sue congruunt, habet Theophyl,

39. *Ἄνδοσις*; ut hi qui volunt transcendere ad vos, non possint; neque inde huc transcendere. Non enim transire reprobi ad electos possunt: cum justorum animæ sint in manu Dei, *Sap. 3, 1.* nec qui descendere ad inferos, postmodum ascendunt: quia nulla ex inferno datur redemptio, *Job. 7, 9.* Ubi enim nec pœnitentia locus est, nullus satisfactionis effectus, ait Cypr. tract. i contra Dom. Hic enim vita aut amittitur aut tenetur, addit idem.

40. Respectu fratrum divitis, ubi occurrit absoluta intercessio, in qua pro fratribus interpellatio v. 27. in quo ab effectu compellatum personam seu objectum: ait autem, rogo te pater. Denegata enim prima petitione, proponit aliam: & qui vivens propriam animam nō dilexit, incipit aliorum ani-

mas

spas diligere, ait Aug. serm. 10. de temp. Non quidem charitate ductus, cum illam non habuerit, sed timore servili, ne ipsorum consortio ejus pœna augeretur, ait Lyra.

41. Et locum: ut mittas eum in domum patris mei. Ideoq; quia non impetrabat paululum serefrigerari, multò minus credit se relaxari posse ad prædicationem veritatis, ait Aug. l. 2. quæst. Ev. q. 38. meminitq; domus patris sue in majus tormentum, quia omnia relinquere coactus est.

42. Et interpellationis à fine desumpta ratio v. 28. in quo causa impellens: habeo enim quinq; fratres. Per quos Chrys. quinq; sensus intelligit naturali quadam germanitate nobis innatos; alii quinq; primaria peccata; alii quinq; diversos hominum status, ut est superbus prælatus, impius magistratus, miles armatus, garrulus advocatus, & sceleratus privatus: siquidem dives adhuc dum multos habet fratres tales.

43. Et causa movens, affirmativè: ut testificetur illis. At serius dives iste magister incipit esse, cū jam nec discendi temp⁹, nec docendi habeat, ait glossa ord. Voluit subveniri fratribus suis semper vecors, serò misericors, ait Aug. serm. 110. de tempore.

44. Et negativè: ne & ipsi veniant in hunc

60

hunc locum cruciatus. Quid salvare vis illos.
fratres, qui non amant paupertatem? habet
Chrys. necesse est, ut fratres habitent cum fra-
tre suo. Ita parum profuit ista intercessio, quia
nihil impetravit, & quia carnalis fuit, ut que
pro fratribus ipsius tantum facta fuit.

45. Et responsio ratione objecti, ubi
Moysis & Prophetarum auscultatio v. 29. in
quo recensentur vitandi talis cruciat⁹, tum
media: ait illi, habent Moysen & Prophe-
tas. Ubi per metonymiam intelliguntur libri
Moyses, & per synecdochen integras scriptura.
Et ostendat Scriptura autoritatem, quæ vitam
eternam proponit Joh. 5, 39. perfectos ad salu-
tem reddit, 2. Tim. 3, 16. In quibus, quæ aperi-
erit in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia
ait Aug. lib. 2. c. 9. & doct. Christ. quæ conti-
nent fidem, moresq; vivendi.

46. Et ratione effecti: audiant illos.
Non enim sufficit solam Scripturam habere, sed
etiam audienda est, & implenda. Ecquid enim
ait Chrys. hom. 2. in c. 1. Mat. lucri est quando
quis audit & non accedit ad implenda quæ di-
cta sunt? Non parvus est etiam ex ipso profe-
ctus audire: nam qui audit & semetipsum re-
prehendit sàpè Galinius ingemiscit, & eo quan-
doq; pervenit, ut studeat etiam implere quod
dicavit. Qui verò nec, quia peccavit, intelligit,
quanti-

quando à peccatis recedet? quando seme*t*ipsum
culpabit? quando etiam emendare conabitur?
Non igitur contemnamus Scripturas audire
divinas. Hac enim diabolica inspirationis ope-
ratio est, non sustinentis nos aspicere tbesan-
rum, ne divitias acquiramus.

47. Tum respectiva exceptio seu re-
plicatio ab oppositis seu contrariis ut sit
mortuorū revelatio v.30. in quo per remo-
tionem: at ille dixit: non pater Abraham.
Dum ex ingenio judicat suo. Ut ostendatur
stolidum in sacris humana voluntatis judiciis.

48. Et per positionem: sed si quis ex
mortuis ierit ad eos, resipilcent. Urget ni-
mirum mortuorum apparitionem, quam tamē
Scriptura non probat. Mortuorum enim susci-
tationē falso & apparenter præstat & Diabolus.

49. Tum refutatio v.31. à minus pro-
babili, ubi antecedens: ait autē illi: si Moy-
sen & Prophetas non audiunt. Quia Scri-
ptura sacra est, que nobis revelat omne consiliū
Dei, A Et. 20, 27. Illa itaq; audienda, qui hanc
non audit, nihil sperare poterit.

50. Consequens: neq; si quis ex mor-
tuis surrexerit credituri sint. Facilius namq;
& verius est Moysi & Prophetis credere, quo-
niam major autoritas, quam mortuorum spe-
ctris. Idq; verum esse declarant Iudai, qui,
quoni-

quoniam Moysen & Prophetas non audierant,
neq^z, cum mortuos vidissent excitatos, credide-
rant, habet Chrys. conc. 4. de Lazar^o, siqui-
dem ex morte non est redditus, Job. 10, 21. &
anima spiritus est abiens, & non revertens;
Psal. 78, 39. Removeantur itaq^z, ista figmenta
bominum, vel portenta fallacium spirituum,
monet Aug. lib. 13. de civ. Dei c. 8. & in l. de
citra pro mortuis cap. 13.

NOTE.

I.

ERAT quidam dives.) Considera di-
viti nullum nomen dari, quia impio-
rum nomina delentur ex libro vitae; ut
discas tui nominis recordari quo inscri-
ptus es per baptismum in vitæ librum.


II.

SEPULTUS EST IN inferno.) Considera
divitem illum sepultum, at in inferno
tamen fuisse; ut discas sepulturæ pompam
non tam estimare, quam animæ curam
habere.

III.

FILI recordare, quia recepisti bona
tua in vita tua.) Considera nullum
malum

malum manere irremuneratum, ita nec
ullum bonum; ut discas non tam hic in
terris munera desiderare quam in cælis.



C A S U S.

An mendici tollerandi in Republica.

Non videtur quia 1. Scriptura expressè
dicit: nullus sit mendicus inter vos,
Deut. 15, 4.

2. Quia jura validos mendicantes
excludunt ex bene constituta Republ. l. un.
C. de mendicantib. validis.

3. Sunt nequam ut plurimum homi-
nes, unde honesto viro opponitur egenus l.
si quis uxori § 2. §. cum Titio. 21. ff de-
fuit. Freh l. 2. de fama. c. 13. n. 2. Hering.
de fidejuss. c. 6. n. 66. Unde spernuntur
& minor ipsorum fides arg. l. 3. ff. de test.

4. Ecclesia mendicitatis opprobrio vi-
le scit in Clement. in plerisq. X. de elec-
tione. Gravetta cons. 896. n. 9.

Contra 1. hic Lazarus mendicus fuit,
& quidem pius, pii autem tollerandi.

2 Christus ipse inquit beati pauperes:
dum & ipse talis, nec habuit ubi reclinaret
caput suum Luc. 9, 58.

3. Do-

3. Dominus utraque creavit.

4. Menoch. arbitr. c. 182. n. 42:
non debent pauperes indifferenter expelli
& negligi, præsertim si à magistratu negli-
guntur: esset sanè hoc impium, obque, solam
egestatem nemo improbus censendus. I. nec
enim permittitur 17. §. interdum ff.
de adopt. & s. ult. ff. de susp. tutorib.

Ad 1. Fall. causæ: sanè quidem no-
sunt esse quosdam, sed non factum.

Ad 2. Jura validos mendicantes ex-
esse jubent, d. l. sed non sufficit certas pœ-
nas esse constitutas, at & curare debet puli-
ticus ne homines pereant. Curandum itaque
ne ad mendicitatē prelabantur. Hering.
par. 2. q. 27. Hœnon. disp. pol. 6. th. 18.
nam quod pauperes petunt, non nostrum
petunt, sed quod ipsis nos debemus. Unde
Novell. 80. etiam abrogatur illi titulo.

Ad 3. per accidens est, non semper:
sunt etiam probi. Neque pauper semper à
testimonia repellitur. Mâscard. de prob.
concl. 115. vol. 3. & Speckhan cent. 1.
q. 39.

¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶

¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶

Non panem nedum scribitam pauper ha-
bere.

Assolet, & strobilos cogitur esse suos,
Dives erat quidam, cui byssea purpura uestie
Et qui quotidiè deliciosus erat:
Ast & pauper erat, cui nomen Lazarus, iste
Divitis ante fores, ulcere plenus, erat.
De micis cupiens saturari divitis ejus,
Sed medo lingebant uleera foræ canes.
Accidit ut pauper moreretur & angelus Abra
In sedem ferret dives, at aptus humum
Hic tulit ex orci tormentis lumina cernens
Quod sit in Abraham Lazarus ille finu.
Ah miserere mei, pater Abrā clamat, & addo
Ut mihi vel guttam Lazarus ille feras.
Contra dixit Abram: fili reminiscere, vita
Tu bona cœpisti, Lazarus iste mala.
Solamen manet hunc, at te cruciaris: hiatus
Magnus adest, ad nos non datur ire via.
Insit ac inde, Pater rogo te, modo Lazarus edec
In patris iubeas quo velit ire mei.
Si ut fratres mihi quinqud domi. Quos ope mo-
neri
Ne veniant & in hac plena dolore loca.

Abra.

Abras & contra: sed habent cū Mose Prophetas,
Hos audiire decet, hos decet usq; sequi.

Dixit ac ille: Pater ne quaque mōrtuus autem
Quod si quis veniat, pœnituisse volent.

Hic contra: Mōsen quisquis non audie. An ille
Audies? Hanc, quamvis morte resurgat
homo.

Talia STRAUBELIUS nunc tractat. Talia
pergit!

Cen Streblita Dei, panis & esse potest.
oprat

GUEINZIUS.

Φίλω Δόποκεινο-

μένω S.

Πλάσιον έυδαιμων τε ιηγή ολβιός ετιν
εκεῖνο

Ος δύναται ὄφθως πεάγματι χράσθει ετιν.
Λαζάρως οπλώχως εργαφικῶς καὶ ταλασσῶδι
ορί

Τηγμαστοῖς αὐτοῖς δείκνυστ ΣΤΡΑΤΒΕ-
ΛΙΟΣ.

ΣΤΡΑΤΒΕΛΙ! έμμενε τειχέτοις! καὶ πολλοὺς έσοντες
Χρήματά σου. Ναὶ δή αντίκα Κροῖς Ο-

suo iamjam discessero Straubelio
in ultimum vale deprobabat
Christianus Halbaueri Querf. S.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle
003 808 483

3



VÖ 17

EV

CH

H

28

27

26



Farbkarte #13

B.I.G.

Black
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Centimetres
Inches

19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1

VITIARUM
GELICARUM
uisitio XXXII
PRÆSIDE
ANO GUEINZIO
nnasii Hallensis
Rectore
Respondente
O STRAUBELIO
erfurtensi Sax.
a I. post Trinitatis.
R. ch. Ic. II.
LIS SAXONUM
radum Melchioris Oel-
schlegely

Dr. Ad. Fr.